

ALBUNIUS EREMITA

Apud Sanderum (*Biblioth. mss.*, part. 1, p. 113) fit mentio Albuini cujusdam reclusi, qui librum Heriberto, circa annum 999 archiepiscopo Coloniensi renuntiato, inscripserat. Prodiit tantum epistola nuncupatoria operi præfixa, liber nondum vidit lucem. Exstat ms. in bibliotheca Canoniorum regularium Tongrensi-um.

ALBUINI EPISTOLA AD HERIBERTUM

COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM

(Apud Marten., *Ampl. Collect.* tom. 1, ex ms. codice Canoniorum regularium Tongrensi-um.)

Domino HERIBERTO Coloniensi episcopo ALBUINUS eremita indignus gloriam et pacem sempiternam.

Ex quo, mi Pater, misericordis vestræ gratiam promerui, exoro Domini nostri pietatem die noctuque ut secum vos post hanc vitam regnare sinat sine fine, et incensus divinis mandatis possitis adimplere bona quæ desideratis. Igitur quia pium studium sacras Scripturas habetis audire, sicut mihi indigno præcepistis, desideravi scribere pietati vestræ aliqua exempla quæ in libris divinis legendo hæc omnia scripta invenio. Si tamen, Deo omnipotente adjuvante, aliquid proficere posset, omnia quæ in hoc libello scripta habeo, non proprio sensu fingo, vel excogito quod dico, sed de sanctis Patribus coadunata retineo. Sine dubio qui ea fecerit videbit lumen æternum, et in tali admonitione nemo me despiciat; quia etsi indignus sum talia ministrare, vera tamen sunt quæ dico, et dum otiosus nemo stare debet, per ista de virtute in virtutem ascendit ad illum qui vivit in sæcula sæculorum. Amen. Si tamen placet, Pater

sancte, et si bonum tibi videtur, sæpius fac rescribi [ne] me pœniteat tantum laborasse, et ne me peccatorem spernatis in oratione vestra, ut vos non spernat qui cum Patre et sancto Spiritu regnat in se. Amen. Pro certo scitote omnes quod nullus libellus citius vos deducet ad cœlestes thesauros quam iste, si sæpius eum curetis recitare. Scio non multum esse beatum, qui se solummodo salvat, Domino adjuvante, sed felicior est qui desiderat alios trahere secum ad regnum cœlesti. Quapropter, o homo, moneo tuam charitatem quicumque legeris hanc scripturam, ut compleas ore perfecto, et aliis bonum exemplum monstres, ut de tuo et aliorum labore merearis percipere a Deo remunerationem. Mente curiosa semper cogita, ne hæc facias, ut Creatori displiceas, quia si in bono perseveraveris, donabit tibi quod oculus non vidit, nec auris audivit, ubi multi sanctorum requiescunt.

Cum igitur de plurimis virtutibus te desiderem admonere, in primis cupio ut virtutem charitatis Cante omnia studeas habere, etc.

TERALDUS

EPISTOLA TERALDI AD GUIDONEM

Cur in festivitibus SS. Pauli et Laurentii versiculi antiphonis innectantur.

(Apud Marten. *ubi supra*, ex ms. Floriacensi.)

(1) TERALDUS GUIDONI fratri salutem.

Questionem ex officio solemnitate Pauli apostoli atque Laurentii martyris quare scilicet cum antiphonis versiculi neclerentur, quam mihi a te memini

(1) Quis sit Teraldus qui epistolam sequentem scripsit, quis præterea Guido cui inscripta est, incertum. Ambo forte monachi monasterii Floria-

ante annum propositam, jam nunc, prout auctor sensus dederit Dominus, charitati tuæ persolvens reddam. Sciendum itaque quod omnes sancti qui omnipotenti Deo devoti exstiterunt, aut cum sola fide,

censis, ex cujus bibliotheca curis D. Martenii prodiit epistola seu epusculum sequens.